

prout contra ocium, seu ociositatem distinguitur, puta pro naturali, ac debita operatione cuiuslibet rei, siue ad quam res qualibet ordinatur, sicque ait Philosophus: Cuius usus bonus est, & ipsum bonum est. Secundo accipitur usus communiter, prout contra dissuetudinem diuiditur. & ita à Victorino diffinitur, dicente: Usus est actus frequenter elicitus, nec addit vltra actum nisi frequentia, atque his modis, usus est vniuersi cuiusque potentia. Tercio sumitur proprie, prout distinguitur contra habitus memorie, & intelligentie, scilicet contra ingenium, & doctrinam, sicque diffinitur ab Augustino decimo de Trinitate: Vt est aliquid in facultatem uoluntatis assumere. & sic nominat actum uoluntatis proprie. Quarto adhuc magis proprie sumitur, prout diuiditur contra actum queratum, uidelicet contra frui. & ita diffinitur ipsum Augustinus, dicendo: Vt est assumere aliquid in facultatem uoluntatis, propter aliud, sicque est actus uoluntatis ad aliud relata. Quinto sumitur contra habitus propriissimè, prout diuiditur contra actum inordinatum, id est contra abuti: & ita, diffinitur ab Augustino libro de doctrina Christiana: Vt est, id quod in usum uenit, referre ad id, quod fruendum est, & sic uti dicitur uoluntatis, relatum, & comparatum ad finem. Ratio igitur diuersarum notificationum ipsius uti, est multiplex eius acceptio: ratio quoque multiplicis, sue acceptiois, est oppositio eius ad diuersa. Hæc Bonauent.

Thomas. ¶ Quibus satis concordat responsio Thomæ, qui ponit hic tres acceptiones ipsius usus, uidelicet primam, secundam, & quartam iam tactas, & addit: Id quod est ad finem, tribus operationibus ad ipsum finem inducitur. Prima est operatio rationis, præstuentis finem, & ordinantis, ac dirigentis in ipsum. Secunda est operatio uoluntatis imperantis, Tertia est operatio uirtutis motiue exequentis. Vt autem nominat executionem eius, quod ad finem ordinatum est, non secundum actum proprium alius uirtutum motiuarum, sed communiter præsupposita ordinatione in finem. vnde uti est actus uoluntatis, quæ est uniuersalis uirtutum motor secundum ordinem ad rationem. Hæc Thomas in Scripto. ¶ Porro in Prima Secundæ quæstione 16. ait: Usus rei importat applicationem eius ad aliquam operationem. vnde, & operatio ad quam applicamus rem aliquam, dicitur usus eius: sicut equitare est usus equi, & percutere est usus baculi. Ad operationem autem applicamus tam interiora agendi principia, scilicet potentias animæ, quam corporis membra, uel intellectum, ad intelligendum, & oculum ad videndum: & etiam res exteriores, ut fustem ad percutiendum. Res autem exteriores non applicamus ad operationem, nisi per principia instrumentales, quæ sunt potentia, habitusque earum. potentiarum uero organa sunt corporis instrumenta uoluntatis uel mouet potentias animæ ad suos actus, quod est applicare eas ad operationem. Hinc uti, primo. & principaliter est uoluntatis tanquam primi mouentis: rationis autem, tanquam dirigentis: sed aliarum potentiarum, tanquam exequentium. quæ comparantur ad uoluntatem, à qua applicamur ad agendum, sicut instrumenta ad principale agens. actio autem proprie non attribuitur instrumento, sed principali agenti, ut adificatio adificatori, non securi. Hinc uti proprie est actus uoluntatis. Hæc Thomas in Summa.

Taranta. ¶ Idem Petrus, qui præhabita compendiosè, & magistratraliter exprimens: Usus, inquit, nominat actum,

& hoc quadrupliciter, quia uel nominat actum simpliciter, ut ibi: cuius usus bonus est &c. uel actum frequentem, ut ibi: usus est actus frequenter exercitatus. uel actum prædominantem, sicut dominus uitur seruo, artifex instrumento. uel actum referentem in finem, & hoc tripliciter. Primo per modum dirigentis, quod tripinet ad rationem. Secundo per modum imperantis, & sic spectat ad uoluntatem. Tercio per modum exequentis, quod est aliarum uirtutum motiuarum. quia ergo uniuersalis, imperantis est liberè mouere, ad quod mouet, sicut dux mouet exercitum, & huiusmodi est uoluntas, quæ se, & alia mouet: idè uti quod est in finem mouere, ad uoluntatem est pertinens, quæ per proprium actum seipsam, & alias uires mouet in finem. & hoc ipsum mouere in finem, est uti. Hæc Petrus.

¶ Quibus per omnia concordat Richardus, dicendo: Vt rei, est eam referre in debitum finem semel, aut sæpè. & dico ad debitum finem, alias esset abuti: dico semel, prout uti contra ociositatem distinguitur: dico sæpè, prout usus contra dissuetudinem diuiditur. Porro rem referre in debitum finem contingit dupliciter. Primo, realem applicationem rei ad suum finem exequendo. Secundo, applicationem huiusmodi intendendo. ita tamen, quod intendens moueat, atque determinet se ad illam intentionem. aliter enim ipse intendens, non se referet proprie ad finem intentionalis, sed eam ei impressit. Primo modo uti est actus cuiuslibet potentie actiue. Qualibet nanque actiua potentia exequi potest realem applicationem alius ad debitum finem. sic natura uirtutis semine, & ipsum perducit ad fructum. Secundo modo uti est actus uoluntatis duntaxat, tanquam actum elicientis. Bruta uerò & naturalia aguntur, & mouentur potius, quam agant, & moueant, ut loquitur Damascenus: quia secundum instinctum, ab autore nature impressum procedunt. Hæc Richardus, qui de hac re scribit prolixè, sed sensus præhabitus est.

¶ Præterea Aegidius, uidetur hic contradicere paritè. Et quamuis non nominet Thomam, tamen disputare contra eum specialiter conspicitur. Scribit enim: Aliqui distinguunt usum tripliciter. Nam primò sumunt eum pro actu cuiuslibet rei, secundò pro actu frequentato, tercio pro usu eorum quæ sunt ad finem. & sic compest uoluntati. Hanc distinctionem dicit Aegidius non ualere, probans prolixè, quod uti non competat nisi uoluntati, ut principali agenti, nec alijs communicetur potentijs. Addit quoque, quod illi, qui præactam distinctionem poluerunt, uidentes se, non bene dixisse, alibi correxerunt se, dicentes, quod uti conuenit uoluntati, ut principali agenti, alijs potentijs hominis instrumentaliter: sicque uidetur insinuare Aegidius, quod Thomas in prima parte Summæ suæ correxit, quod in Scripto primi induxit. Et tamen secundum Aegidium, nec illa positio, seu correctio ualeat.

¶ Ad quæ dico, qd si diligenter pensetur disputatio ista Aegidij, est inutilis, nec subtilis. Siquidè per omnia, quæ prolixè inducit, nil aliud probat, nisi quod uti proprie sumptu uoluntati sit, proprii: non autem probat, quod uti alijs modis sumi non queat, nec debeat. Atque ut Scotus circa hæc protestatur, non est multum contendendum de nomine, cum per diuersum modum loquendi, frui, seu uti apud diuersos inueniatur æquiuocè. Ea quoque quæ sanctus doctor scribit

Quis opationibus die perfectur in ingen.

Usus acti nominat.

Richardus.

Est ali quod referre in finem dupliciter.

Aegidius.

Opinio Aegidij.

Dionysius contra Aegidium.

Taranta.

bit